

Coniectanea

de Silio Iuvenale Plauto aliis poetis lat.

I De Silii Italici vita ac studiis plenissime et gravissime testantur Plinius epistula III 7 et Martialis epigrammatis compluribus, tamen unum aliquid cum illi praeterierunt tum nostra aetate omnes neglegunt quod mihi multum valere videtur in existimando ingenio poetae. lege Punica eius, lege in XV libro Voluptatis et Virtutis certamen, noluit hic epicus historicum agere, nam historiam quantum fieri potuit in rebus certis aut certa fama, deseruit et contempsit, voluit philosophum romanum qui malos mores emendaret, bonorum exempla laudaret a vetustissimis patriae virtutis nominibus ad aequales suae aetati Lateranos et Galbas et Pedianos progressus. sectam eum secutum esse Stoicam scilicet, nec desunt carmini Bruti aut Catonis laudes, et cum in morbum incidisset insanabilem, ipse sibi fecit exagogam. itaque Annaeus Cornutus ut ad Italicum de Vergilio librum mitteret, non id tantum causae fuit quod Vergilium ille veneratus est et aemulatus, sed etiam quod in philosophia eas partes probavit quas Cornutus disciplina ac scriptis tuebatur. atque cum virum consularem doctor semigraecus his verbis compellaret *iamque exemplo tuo etiam principes civitatum, o poeta, incipient similia fingere* (Charisius p. 125, 16 K.), quid tandem respexit nisi ethicam rationem ac philosophiae semitam Silianis carminibus praemonstratam, translata Calliopen ex ludis declamatorum in officinam virtutis? neque enim primus inter principes civitatis Italicus epos latinum condidit (Neronis Troica Cornutus magno cum malo suo noverat) nec primus historiae romanae argumentum Vergiliana arte tractavit (bella civilia paene in schola Cornuti Lucanus canere coeperat). ille vero frustra sit qui poetam appellatum a Cornuto esse non Italicum sed Vergilium opinetur, aut Italicum illum quidem sed eam ob causam quod alia carmina composuerit ignota nobis aut saltem plurimis nostrum

(ego enim Homerum latinum audeo adulescenti Italico tribuere sisus primorum et postremorum versuum parastichidi *Italicis scripsit*). immo adsentatus ita est nobilissimo Punicorum scriptori non ante annum Chr. 84 (Silius III 607) Stoicus senex. nam annos plus minus septuaginta tum habuisse oportet, cui Persius cum togam puram accepisset, vel ut verba saturae V 30 Suetonius in vita Persi interpretatur, cum esset annorum XVI, id est Christiano anno 50 tamquam matri puerum se supposuit. 'surgentem dextro monstravit limite callem' Cornutus Persio (III 57), 'nec famam laevo quaerebat limite vitae' Silius (VIII 640). hunc dedisse operam ut philosophus haberetur, si minus credis, testimonio vincam Epicteti quem in amicitia consularis non minus quam in sapientiae studio ac via vices exceperisse Cornuti suspiceris. narrat Epictetus Arriani III 8, 7: πῶς ἔχουσι Ῥωμαῖοι πρὸς φιλοσόφους ἂν θέλης γινῶναι, ἄκουσον Ἰταλικὸς ὁ μάλιστα δοκῶν αὐτῶν φιλόσοφος εἶναι, παρόντος ποτέ μου χαλεπήνας τοῖς ἰδοῖς ὡς ἀνήκεστα πάσῃων, οὐ δύναμαι, εἶφη, φέρειν, ἀπόλλυτέ με, ποιήσετε με τοιοῦτον γενέσθαι, δείξας ἐμέ. *primarium aliquem virum significari ipsa argumentatio ostendit, non alius significatur quam qui togatis hominibus maxime poetica et oratoria facultate excellere visus est. atque Epicteti exemplo inlustrantur verba quae de convictu Sili Plinius fecit: cubiculo semper non ex fortuna frequenti doctissimis sermonibus dies transigebat.*

II Iuvenalem quotiens lego, moleste fero nimis multa me non posse sic intellegere ut poeta cives qui essent quique futuri essent percepturos speravit, cumque in versibus difficilibus et obscuris laboravi, saepe infelicem eventum consolari cogor sententia quam Goethius alicubi pronuntiavit, quae nesciamus ea ipsa nobis opus esse, parum usui esse quae sciamus. breviter significabo de aliquot locis opinionem meam aut dubitationem: quod si prius iam dicta ut iterum dicerem accidit inscienti, consensus tamen aliquid utilitatis praestabit, si vicerit vel reticentiam vel auctoritatem interpretum, quorum nunc sunt in manibus commentarii.

I 79 *si natura negat, facit indignatio versum qualemcumque potest.* habet ipse versus notam mediocritatis, consulto numeros poeta fecit artis minimae quales doctus et 'iunctura callidus acri' vates nullus admisisset. o finalem antiquos non corripuisse praeterquam in iambicis nemo nescit, horum licentiam Augustea aetate imitari coeperunt cretica ut quae pedes in versu singulos explerent, itaque *potio pensio quaestio ultio* in hexametris iam legabantur sine offensione. molestiora quadrisyllaba erant talia *cenatio cunctatio damnatio occasio*, correpta a Iuvenale ubi ad finem ver-

sus properat in pede quinto, unum *occasio* etiam in quarto (XIII 183). molestissima vel propter ambitum contrarium carminis articulis verba quinque syllabarum, quae binos pedes complectuntur nec locum in versu habent nisi si antecedant pedem ultimum. *indignatio* semel repetitum est a Iuvenale in extrema primi libri satira idemque emollitum sic *nequa indignatio desit* V 120: in altero libro *admiratio desperatio permutatio* (VI 646 367 653), in reliquis nulla exempla inveniuntur. *trepidatio* atque huius modi nomina Iuvenalis vitavit omnino, quamvis frequentaret trepidi et trepidantis vocabula.

IV 33 Crispinus praeco *solebat vendere municipes fracta de merce siluros*. ex Nilo Romam advecti siluri quorum magna copia auctione venit, evidenter non recentes sunt sed salsi. horum in medicina usum Plinius libro XXXII identidem commemorat, prandentes homines esitasse *σαπρὸν σίλουρον* Diodorus comicus docet (Meinekii III p. 545 v. 36), in alteram cenam dilatam *putrem silurum* Iuvenalis XIV 132 non sine ambiguitate dixit, salsum tamen hunc non minus quam lacertum intellegi voluit. ad salsamenta autem Graeci Romanique fictilibus vasis, amphoris ac testis utebantur. quae si fracta erant, mala merx facta est et minimi pretii quam ad emendam vilis praeco tunicatum popellum cogeret.

IV 34 *incipie Calliope, licet et considerare, non est cantandum*. nimirum surgunt de toro sellave cantores prius quam incipiunt cantare. de hac ipsa dea Ovidius metam. V 338 *surgit Calliope, praetemptat pollice chordas, subiungit carmina nervis*. Iuvenali contrariam sententiam Propertius expressit II 10, 11 *surge anima ex humili iam carmine, sumite vires, Pierides, magni nunc erit oris opus*. in otio igitur considerare et simpliciter narrare Iuvenalis volt puellas Pierides, *prosit mihi vos dixisse puellas*, id est referetis gratiam blandae huic voci qua dissimulavi anilitatem vestram ac severitatem rigidam. colorem illum *prosit* duxit ex Vergilio Aen. IX 91. immane quantum falluntur qui Musas intellegunt virgines pudicas, nisi forte de intemptatis scriptum hoc est in lupanari Pompeiano *candida me docuit nigras odisse puellas* aut ab Ovidio in fine artis *mea turba puellae inscribant spoliis 'Naso magister erat'*.

IV 104 Virroni muraena ponitur maxima de freto Siculo, clienti convivae anguilla *aut glacie aspersione maculis Tiberinus et ipse vernula riparum pinguis torrente cloaca* eqs. Tiberinum proprium piscium generi nomen indidisse Romae qui macelli res curabant confirmat Galenus de alimentorum facultatibus libro tertio cap. 30 (ed. Lips. VI p. 722) ubi narrat pessimos fieri pisces in ostiis

eorum fluviorum qui cloacas purgent sordesque urbium omnes recipiant, muraenam quoque pessimam esse in ostiis Tiberis quamvis non ingreditur fluvium ideoque paene omnium unam marinorum piscium vilissimam Romae, ὥσπερ καὶ οἱ κατὰ τὸν ποταμὸν αὐτὸν ἰχθῦες γεννώμενοι, καλοῦσι δ' αὐτοὺς ἔτιοι Τιβερινοὺς ὡς ἰδίαν ἔχοντας ἰδέαν οὐδενὶ τῶν θαλαττίων ὁμοίαν, causam autem corruptelae inlaviem esse ex urbe adfluentem hinc intellegi, quod meliores sint pisces quos prius quam ad urbem perveniat amnis idem gignat.

V 135 negligitur conviva pauper, eidem si subito census equester obtingeret, Virro maximum honorem praestaret: *da Trebio, pone ad Trebium, vis, frater, ab ipsis ilibus?* sic distingunt quasi ipsorum ilium partem Virro amico concessurus sit nescio qua ex fera scissam aut quibus gulae inlecebris cognitam. aliud *ab* valet, aliud *de*. quidquid in cenam adfertur, id datur adponitur offertur Trebio, hic a domino cenae ut unice amari se sentiat grandi voce appellatur frater *αὐτάδελφος, ὁμόπλαγχνος* sive quae alia verba tragici iactarunt, non germanus quidem nec uterinus sed *ab ipsis ilibus frater*, plane consanguineus.

VI 82 *comitata est Eppia ludium*. non debebant talia in hoc poeta tolerari, nedum ex coniectura adscisci. recte codex *ludum*, comitata est gladiatorum catervam, ipsa *ludia dici sustinuit* v. 104. pessime editores VII 185 *veniet qui pulmentaria condiat*, optime codex *condit*. magis cavebat Iuvenalis versus quam sermonem ne corrumperet, depravatae latinitatis plurima sunt vestigia, modi ac tempora verborum metri commoditate dispensantur aut temere mutantur, facillimum quidem est illo loco curva sic corrigere *veniet qui fercula docte componit*, restant tamen aequalium membrorum in verbi modo dissidentium exempla complura (quid quod Iahnus et Ribbeckius XI 130 intactum reliquerunt *qui me sibi comparet et res despicit exiguas?* hoc quidem ut opinor nimis religiose) quae ego vereor expellere furca. ut redeam eo unde profectus sum, Iuvenali semper *ludus* est gladiatorius, nisi quod antiquo more *per ludum* simulari rem dixit, *ludi* spectacula. ergo VIII 199 *haec ultra quid erit nisi ludus?* idem valet quod: praeter scaenam quid ignominiae captabunt nobiles nisi harenam?

VI 107 Eppiae deliciae gladiator vetulus confectus, *praeterea multa in facie deformia, sicut attritus galea mediusque in naribus ingens gibbus et acre malum semper stillantis ocelli*. corruptum esse *sicut* vel Iuvenalis consuetudo loquendi arguit, nam in comparatione ponere illud solet, non in enumeratione. et deest primo membro nomen suum. conieci *ficus*: ita vocatur ulcus cum caro

excrescit in iis partibus corporis quae pilis conteguntur, callosum et rotundum maxime in barba, umidum et inaequale praecipue in capillo, ut ait Celsus VI 3. *πρὸς τὰ σκαύδη* quae in mento extitissent Galenus varia medicamenta praecepit *τῶν κατὰ τόπους* V 3 (vol. XII p. 847 ss. K.). ficus atteritur galea, id est nascitur atterendo: scis in obscaenis ficus memorari saepius, ibidem memineris apparere terendi et fricandi verba. Charisius aut Iulius Romanus quia nullam umquam Iuvenalis rationem habuit, non mirum est si neglexit hunc versum disserens de genere ficus masculino, Priscianus VI 76 p. 261 H. transcripsit Martialis idem quod vetustior grammaticus protulerat exemplum neque hoc subiunxit, sive oblitus tum poetae qui ex proletario classicus Constantinopoli demum evaserat, sive quod codex saturarum quem manibus versabat tam in ista scriptura nostris libris similis erat quam in corruptelis plurimis ac paginarum defectu postremarum.

VI 326 libidinosae mulieres faciunt quibus incendi Priamus *et Nestoris hirnea* possit. scribatur utro libet modo, *hirnea* aut usitato more *hernia*, manifesto designatur ramex, *βουβωνοκήλη* aut alia *κήλη*, multas enim vitii species si intestinum ab inguinibus ad scrotum devolveretur medici distinguebant quas populus communi nomine appellabat (Celsus VII 18). unde eam Nestori dedit Iuvenalis? nescio an traxerit ex Atellanis. Pomponi fabulae titulus erat *hirnea Pappi*, duo qui supersunt versus vitiatae virginis partum narrant, senex hic derisissimus, ille laudatissimus. Atellanica dicta, quanto quisque poeta studiosius vitam ac sermonem cottidianum sectabatur, tanto magis etiam si nollet coactus est depasci. scripserat Varro in Menippeis vinum novum refrigerare, vetus calefacere, medium esse prandium caninum: hoc quid significaret diu et anxie quaesivit Gellius XIII 31 nec tamen invenit quod vellem iterare, magis expedit *κυνάδων* meminisse quas Lacedaemonii pro *ἀπομαγδαλιας* vocabant vel proverbiorum talium *ἂ καὶ κυῖν πεινώσιν οἴχι βρώσιμα* et *ein hündisch Essen*, ipsa autem illa compositio verbum quod ad vinum Varro paulo molestius transtulit iamdudum ante increbuisse Romae declarat. nec dissimiliter Pomponius v. 178 homini valenti alium obiectari facit frustatim *passerinum prandium*. Fronto in feriis Als. 3 p. 226 Naber de Hadriano refert *modulorum et tibicinum studio devinctum fuisse scimus et praeterea prandiorum optimorum esorem optimum fuisse*. nisi me fallit sensus, flosculus hic extremus non natus est in hortulis Frontonis sed aliunde decerpitus, ex Atellana mimove aut comoedia, unam syllabam si adposueris ad *prandiorum*, integer fiet senarius. verum haec de prandiis in

transitu. herniam Nestoris ex Iuvenale repetiisse Queroli scriptor videtur I 2 p. 18 Peiperi in Laris colloquio cum homine suam fortunam gravante: psaltrias hic et concubinulas exoptat, daturum se ille respondet, *suscipe Paphien Cytheren Briseidem, sed cum ponere Nestoris*. scholiasta Queroli etiam ad *Apici fercula* II 1 p. 22 Iuvenalis mentionem inicit *Apicius proprium nomen glutonis . . . cuius et Iuvenalis in primo libro meminit* (III 23), sed locutionem illam non accepit scriptor ab Aquinate, nomen Apici gulosae luxuriae documentum fuit Senecae Martiali aliis.

VII 40 dives patronus poetae recitatur *Maculonis commodat aedes*. nihil muto, scholiastae cum compertum nihil haberent ex macula aliquam effinxere vocabuli interpretationem. nomen domus posuit poeta, tum describit eam tanquam carcerem. certas aedes poetis inserviisse recitantibus ac singulas suo quoque tempore pluribus consentaneum est. philosophus ambitiosus in Epicteti dissertationibus III 23, 23 *ἀκουσόν μου σήμερον διαλεγόμενον ἐν τῇ οἰκίᾳ τῇ Κοδράτων*. sic cum per privatas aedes vagarentur recitantes, Athenaeum Hadrianus instituit in quo poetae rhetoresque audirentur assiduo. Quadrati sane nimio plures ac nobiliores quam Maculones, sed domus Quadrati nihilo notior quam Maculonis aut balneum Scriboniolum et huiusmodi pleraque. *Phoebi balnea* Iuvenalis VII 233 commemorat in quibus pauperculus litterator lavet, *quae Dafnes appellantur* scholiasta adicit. gratuita praebita balnea Agrippae aedilitate CLXX, iam Romae ad infinitum aucta numerum Plinius XXXVI 121 scribit, balnea DCCCLVI in notitia urbis numerantur. ego non audeo adseverare idem balneum fuisse prius dictum a Phoebos, post CCL annos a Daphne, vereor ne interpreti ignorantem locum et quaerenti intempestive subvenerint Apollo et Apollinis amores.

VIII 194 nobiles reprehendit poeta qui in scaena se prostituunt, nominat Mamercos Fabios Lentulum Damasippum, hoc quoque nomen maiorum dignitate atque honoribus splendidum, si quidem iam in bello Mariano L. Damasippus praetura functus est. hi quanti se vendant, nihil refert, *vendant nullo cogente Nerone nec dubitant celsi praetoris vendere ludis*. hunc versum editores nunc expellunt, sed enervem reddunt poetae orationem indignantis patricios non modo non coactos, nedum a Nerone, sed volentes ac lubentes inire scaenam. neque hi neque Heinrichus verba recte ceperunt. viri senatorii ordinis operam ad scaenam non tantum Caesari locant sed etiam equestri loco natis. *celsus* proprie eques dicitur: ut vetera praeteream, Statius silvarum I 31 *patrumque equitumque* luctum ex-

plicans versu 41 *non labente Numa timuit sic curia felix, Pompeio nec celsus eques*, ibidem III 3, 143 de Claudio Etrusco quem Vespasianus anulo aureo donatum ex libertino ordine in equestrem traduxerat *mutavitque genus laevaeque ignobile ferrum exiit et celse natorum aequavit honori*. itaque celsus praetor a Iuvenale appellatur ex equestri nobilitate adeptus senatorium ordinem, in quo mimi isti erant nati.

VIII 247 Marius *frangebat vertice vitem, si lentus pigra munit castra dolabra*. intellegunt militem gregarium vapulare Marium a centurione suo, *frangebat* exponunt *frangi sibi patiebatur*. incredibile hoc mihi videtur, nam frangit fustem qui percutit et pulsat, non qui patitur verbera, non qui capite patitur, non qui vetatur oblectari disciplina militari. Iuvenalis supra (136) de proconsule *frangis virgas sociorum in sanguine*, caedit enim per lictores suos magistratus ipse, de centurione Tacitus ann. I 23 *fracta vite in tergo militis alteram poscebat*. nec possunt Iuvenalis verba aliter accipi, praesertim cum nihil adiecerit quo verticem quidem Marii esse sed vitem alterius doceremur. denique si lente pigreque Marium induxisset quandocunque militiae munera obeuntem, suam ipse poeta argumentationem confutasset. quamobrem Marium ego intellego strenuum centurionem solitum reprimere militum ignaviam. *verticis* igitur nova quaerenda est interpretatio. fortasse sicut Amianus civitatis decuriones primarios ordinis vertices vocat et exercitus ductores vertices principiorum, sic iam pridem castrensi sermone primos quosque in centuriis milites coeperant appellare vertices. in principales si centurio animadvertit, disciplinae lex nullo gradu neglecta, iusta severitate viritim propagata apparet.

IX 129 *obrepit non intellecta senectus*. Heinrichium qui *obrepit* iactavit simul et reiecit, ceterosque fugit Ausonium ea verba transtulisse in epigramma suum XIII: *dicebam tibi, Galla, senescimus . . . sprevisi, obrepit non intellecta senectus*. Iuvenalis autem recte *obrepit*.

IX 133. conquestus erat Naevolus *spes deceptas* 126, consolatur eum amicus *altera maior spes superest, tu tantum erucis inprime dentem*, omnes enim Romam confluent pathici. haec inter se non male conveniunt, sed miramur deinceps sic respondere Naevolus quasi non modo victus facultatem ille ostenderit sed divitias ac felicitatem. altera autem ac maior spes ex verbis illius nulla emersit nisi mollium hominum nova ac multa frequentia. co-dex optimus versum 134 duplicatum exhibet sic

*spes superest tu tantum erucis inprima dentem
gratus eris tu tantum erucis inprime dentem*

unde duplicem in antiquissimo exemplari scripturam fuisse patet, illam quæ nunc circumfertur et hanc quam non magno negotio redintegramus, *alter amator gratus erit*. quam equidem præstabilem iudico, sic enim in duas partes consolatio dividitur, numquam defuturum Naevolo in multitudine pathicorum advenarum qui pascat eum, et cum Virro ingratus fuerit (v. 82) nec præter parvam mercedem quidquam clienti donarit (41 59 70), alterum amatorem gratum fore, id est præmia ampla redditurum frustra exspectata a Virrone. iam Naevolus *haec* inquit gratorum amatorum *caempla para felicibus*, ego contentus sum si quaestus sufficit ad tolerandam vitam, respondet igitur de parte utraque.

X 178 mendacia Graeci tradunt de bello Xerxis, *madidis cuntat quae Sostratus alis*. ex Sostrato Phanagorita Stephanus Byzantius in *Μυκάλη* nomen femininum *Μυκαλησίς* profert. nec locus alienus a rebus Xerxis cladibusque Persarum et forma adiectivi maxime conveniens poetae pedique heroico. in sequentibus versibus eiusdem auctoris *ἔπη* respexisse Iuvenalis videtur, certe in illo *mitius id sane quod non et stigmatē dignum credidit* convincitur et condemnatur de falsa historia Herodotus.

X 224 famosus puerorum stuprator nominatur *Hamillus*. idem Martiali VII 62 pediconis exemplum fuit, idem fortasse iam Pompeianae urbis incolis, etsi potuisse fieri non nego ut cognomines homines plures eadem macula infames essent. Pompeis enim in pariete pictum est *Sullimah sodalibus neo* [incerta ultima littera, tum evanuisse complures, ludibundus facias *negavit*] *dulcissimam Philoth* . . . et rursus *Sullimah Ehton: sic amo* (in actis eruditionum Italic. publicis a. 1878 p. 263), id est *Hamillus sodalibus* et *Hamillus Nothe*. inversa nominum scriptura alias reperitur in devotionibus, videturque posse alterum exemplum pertinere ad execrantis odium, prius autem sic contextum est narrantis aut iocantis verbis aliaque ibidem eodem colore inscripta talem nequitiam produnt (*cunnum tingit*), ut quem Ausonius epigr. LXX dicit perversæ veneris fossorem sinistro litterarum cursu significari arbitrer. sed hac de re licet dubites, *Amillum* in libris Martialis concedes ferri perperam. Mauram quod Iuvenalis illo loco et in satura VI turpissimi scorti exemplum fecit, in Priapeis primordia habes contemptus ac sordium quibus eius nationis puellae aut ipsum potius nomen sensim obruebatur.

X 297 *rara est adeo concordia formae atque pudicitiae*. olim humilis poeta dixerat apud Petronium sat. 94 *raram fecit mixturam cum sapientia forma*. hoc dictum nescio an ignoraverit Iuve-

nalis, at haeserunt in memoria eius dum hanc saturam scribit cum Senecae et declamantium philosophorum loci quidam tum Tusculanae Ciceronis disputationes I et V (Priamus versu 258 et Pompeius v. 283 in Tusc. I 85 s., citharoedus v. 210 et Marius 278 et cum Sardanapallo Fortuna 362 366 in Tusc. V 116 56 101 25). versus 357 ss. Tullianorum libellorum quandam colligunt summam, qua re confirmatur coniectura quam nuper aliquis exprompsit, si memini, et ipse dudum ceperam, exiisse versum 359 in *quoscumque dolores*, nam ut prima disputatio Tusculana de contemnenda morte, ita secunda est de omni ferendo dolore. non conlocavit Iuvenalis *labores* intra tres versus bis in exitu, librarii quam proclives fuerint ad permutanda haec vocabula, siquis legendo poetas non observavit ipse, unum evolvat Ovidi librum, I Ponticarum epistularum, inveniet quattuor exempla 4, 22 et 53 6, 41 9, 23.

XI 106 *nudam effigiem clipeo venientis et hasta pendentisque dei* perverse sic interpretantur quasi cum clipeo et hasta Mars ad Iliam descendat. talis ablativi usus, quantacumque in eo casu licentia fuit poetarum ac Iuvenalis, sine exemplo est et sine ratione. neque grammaticae artis fidem ullum plastae aut caelatoris opus labefactare potest: in vasculo cis Rhenum invento delatoque Bonnam in museum academicum Martem Amor praelucens ad virginem deducit clipeatum et hastatum, at Iuvenalis *nudam clipeo et hasta effigiem Martis*, sine armis suis advolantem deum in amplexus declaravit. Ovidius mensem Martium ita exorditur enarrare: *bellice, depositis clipeo paulisper et hasta, Mars ades . . . tunc quoque inermis eras cum te Romana sacerdos cepit, ut huic urbi semina digna dares* (fast. III 1 et 9 s.).

III In Aulularia Plauti IV 4, 8 (627) ss. Euclio qui aulam onustam auri in fano abstruserat, Strobilum servum abstulisse eam suspicatur sibi que volt reddere: *auferre non potes*. Strobilus *quid vis tibi?* Euclio *pone*. Str. *id quidem* [*di quidem libri*] *pol te datare credo consuetum, senex*. Eu. *pone hoc sis, aufer cavillam, non ego nunc nugas ago*. Str. *quid ego ponam? quin tu eloquere quidquid est suo nomine*. ioci improbi ratio apparet, senex enim dicit *ἄετ*, servos audit quod pedicones solebant dicere *ὄς πνύλου*. itaque adverbium esse *pone* interpretes adnotant illud quod significat *ἄποσθεν ἢ ἐπιλω*. sed adverbium ab orationis structura plane abhorret, non coit neque cum *quid vis* neque cum *id datare*, porro nimis laxum videtur et commune vocabulum quam quod statim potuerit ubi unum et solum ad aures pervenisset detorqueri in obscaenum. ego hinc officio Plauti aetate *pone* fuisse nomen par podici anoculo natibus, nomen neutrum eius figurae quam habet *pane* quod

idem poeta in Curculione posuit, Latinos igitur illam corporis partem olim similiter vocasse ac plerosque populos (germ. *After, Hintere*). firmoque fidem consensu Graecorum, quos eodem animum vocabulo dixisse glossae Hesychii docent, *πουνιάζειν παιδικοῖς χρῆσθαι, πούνιον γὰρ τὸν δακτύλιον λέγουσιν* et *πυνιάζειν περιβαίνειν ἐπ' ἀρσένων* et *πυννός δ' πρωκτός*. iam constat in illa scaena verborum regula more atque ordine procedentium, nam praeter id quod supra scripsi dictitabant *τὴν πυγὴν αἰτεῖν, ἀξιοῦν λαβεῖν, δοῦναι* (Machon Athenaei XIII p. 579 A 580 F 582 F), item Latini suum illud *da pedicare* tali modo variarunt *praebeat ille nates* vel *hi dant quod non vis uxor dare, Chiam volo, nolo mariscam*, qualia qui lascivos libellos perlegit plura inveniet quam huc adscribi opus est. fortasse quod turpe olim *pone* fuit, eo factum est ut ne adverbii quidem locum aut praepositionis si teneret, honestum videretur urbanis hominibus supra modum studiosis verecundiae. tanquam exoletum vetustate verbum Verrius id tractaverat, antiquas dictiones Vergilium cum adseculis suis rettulisse cum *pone sequens* ac similia per carmina sua sparsit, vel inde discas quod non conlocavit nisi in prima versus sede extatque etiamnunc Enni versus sic incipiens *pone petunt*.

Ἀεὶ κολοῖός παρὰ κολοῖόν graecum est proverbium. addo mentulae novum nomen memoriae traditum a Mario Plotio grammatico qui inter astismi vel charientismi exempla *illud de Pompeio* posuit, *qui coloris erat rubei sed animi inverecundi 'quem non pudet et rubet, non est homo sed ropio'*. *ropio* autem est aut *minium* aut *piscis robeus* aut *penis* [ita princeps editio, *pene* codex] Keilianae collectionis VI p. 461 s. parum adsequor Keili sententiam dubitare se adnotantis, *ropio* in quo rubri coloris significatio insit num sit incorruptum. cur dubitemus? a robo vel rubro sic ductum est ut plurima nomina Latini finxerunt *Glabriones Polliones Quinctiones*, in altera syllaba *r* litteram nemo requiret qui cognata vocabula circumpexerit aut legerit exposita in Fleckeiseni annali a. 1872 p. 113 ss., sola non ex lege sed singulariter evenit labialis vocis attenuatio, quam etsi vetusto exemplo nullo nunc possum comprobare — omittenda enim sunt externa verba ut *Canopus* et quae alteram adsumpsere consonantem ut *supter* aut vocalem ut *exprobro impropero* et quae monachi scriptitarunt ut *piscipus* — tamen quoniam ex contrario *p* in *b* saepe transit (*buxus Balatium* alia), ab ore ac sermone volgi non existimo plane fuisse alienam. *ropio* igitur pro robione dictus quod minium significavit, praeter germanicum vocabulum comparari licet rubiam et rubicam,

quod piscem, ξουθρῖνον et rubellionem, quod penem, vel comicorum σκυλίον καθεμμένον ξουθρὸν ἔξ ἄκρου παχὺ vel Priapi rubrum porrectum ab inguine palum. restat ut dicam de verbis Pompeium obiurgantibus, quae Hauptius in versum Sotadeum redegit haud sane probabiliter. nam perraro id metrum Romani adhibuerunt nec tam leviter aut sine more quam nostrae aetatis philologis quibusdam visum est, qui hac maxime fruebantur Sotadeorum simul et Saturniorum commoitate, quod vix ulla verba tam laxa sunt ut his numeris vinciri non possint. qua de re explanatius dixi legesque quas Romani in Sotadeo metro secuti sint adumbravi Varronis saturas commentatus in hoc museo XX p. 422 s. nec moror equidem qui violare eas etiam nunc pergunt. qualem olim Hauptius proposuit Sotadeum, talis fuit nullus: clausula dura quidem sed tolerabilis nec prorsus incomperta haec *est homo, sed piscis*, absona et intolerabilis ex dissolutione *est homo sed ropio*. dictum istud quo modo aptandum sit carmini, ubi consuetudinem volgarem consulueris, ilico patebit. Catullus paenultimo carmine *non homo sed vero mentula* de Mamurra tam similiter, ut certo scias poetam alterum alterius sales habuisse cognitos, praesertim cum nullo paene temporis intervallo inter se distent epigrammata, Catullianum enim sub annum DCC scriptum est, illud de Magni impudentia utrum paucis annis ante an uno post factum sit non liquet. Petronius in sermonibus convivarum *discordia, non homo et piper, non homo et phantasma, non homo*. vetus auctor in scholiis Iuvenalis IV 77 de Pegaso iuris studioso memorique adeo *ut liber vulgo, non homo diceretur*. inter *non* et *homo* vides aliud nihil interici, atque etiam ex ornamentis rhetoricis quae Cicero ostentat dicens *virum te putabo, si durissima carmina legeris, hominem non putabo* aut *neque eum oratorem tantum sed hominem non putant* pellucet invicta dictionis vulgaris simplicitas. ergo verba ista contendo in disticho fuisse conlocata ad hunc modum

nam] quem

non pudet et rubet, est non homo sed ropio

quamquam fides grammatici non tanta fuit in re minima et quam curari non opus esset, ut nefas sit credere pentametrum paulo venustius clausum ab ipso qui fecerat velut sic *hic non homo sed ropio est*. notius hoc disticho Romae fuit diutiusque animis hominum insedit id quod Calvus composuerat in eundem Magnum: *quid credas hunc sibi velle? virum*. de quo quae Weichertus p. 132 ss. congescit testimoniis adiungas imp. Iulianum Caes. p. 323 B. una aetas, communis similtas, aequale artificium et hoc et illud perpererunt, quid si poeta idem?

De Sotadeis errorem tralaticium quoniam fors tulit ut reprehenderem, non abstineo quominus etiam Acci libros didascalicon commemorem. etsi enim non iuvat cum Lachmanno configere disputando contra neque repetere ab integro quaestionem cuius nodos solvere omnes nequeam, tamen cuiusvis hominis est et viam monstrare errantibus nec pati fallacias serpere longius. reliquiae igitur didascalicon multo plurimae sermonem testantur pedestrem, non solum ad Charisium quae pervenerunt excerptae ex libri IX praefatione sed etiam quae ad Nonium ex II, ex ipsa argumenti tractatione, vituperantur enim chori Euripidis, explicatur tragicorum *συχουρδία*. nam quam varia sint genera poematorum, Baebi, quamque longe distincta alia ab aliis, nosce (Charisius p. 142 K.) haecine aliquis putat pro carmine habuisse viros in litteris et in re publica principes et negat poetica mella tum tota urbe manasse? verum tamen in didascalicis carmina quoque inerant sive facta ab Accio sive ex aliis voluminibus transcripta. nullum meo iudicio manifestius est quam quod ex primo libro Priscianus VI 68 p. 253 H. protulit: *falsidica, audax, gnati mater pessimi, odibilis, natura impos, eaccors et fera*. parum est dinumerare syllabas in pedes vel pingere ex quibus numeri computentur signa, accedat oportet aurium adsensus. hi versus fuerunt suntque et posthac erunt senarii, sive sic priorem sine capite truncum servare lubebit, sive oratione atque ipso versiculo ductus edoctusque Prisciani in scaenicis versibus incuriam aut ignorantiam mihi favorebis mutanti audacter *audax, falsidica, gnati mater pessimi*. in primo libro Accius ab epica poesi ut par erat exorsus plurima disseruit de Homero eiusque materia carminum, istis senariis nescio an notetur Iuno Martis mater quippe quae conlectis atque inflexis in malam partem Homeri indicibus tanquam rhetoricae vituperationis locis talis potuerit describi. ipse si versiculos fuderat Accius, raritas iamborum idonea est ad inlustrandam veritatem sententiae quam de nobilibus eius trimetris Horatius pronuntiavit ep. II 3, 259.

IV Angelus Maius in appendice operum edita post mortem eius (Romae a. 1871) I p. 19 mentionem iniecit codicis Vaticani in quo *commentum per Chalcidium Neapolitanum super carmine saeculari* Horati legeretur, congruere ea scholia maxime cum Porphyryone quamquam ad v. 41 *sine fraude* etiam Servii expositionem (in Aen. I 242) adhibitam esse declaravit, Chalcidium hunc videri illum esse qui Timaeum volumine ampliore commentatus inter philosophos antiquos censetur. Mai verba cum olim me excitassent ut integri commenti acquirerem notitiam, iam oblivisci coeperam

cum memoriam rei denuo adtulit Martini Hertzii observatio, qui in analectis ad carminum Horatianorum historiam IV p. 9 s. quod ab interprete Timaei neglectum esse omnino Horatium animadvertat, negavit posse Mai de auctore scholiorum coniecturam iudicari prius quam ipsum illud commentum cognossemus. itaque ut aliis compendium faciam eius operae quam mihi tum Fridericus Leo praestitit, ex eis quae hic de codice diligentissime rettulit pauca ac necessaria proponam. Vaticanæ bibliothecae codex est latinus 2769 chartaceus saeculi XV octonariae figuræ foliorum 82, continens aliquot Martialis et recentissimorum poetarum Italorum epigrammata, deinde a f. 3 Horatii vitam et odas et carmen saeculare cum scholiis, f. 81 b *Commentum per Calcidium Neapolitanum | Super carmine seculari*. in eius carminis contextu scriptum est v. 4 *Tempore sacro sed hoc supra prius vocabulum, supra alterum sancto et praeterea at̄ prisco*: in commento *tempore prisco* et quae Porphyrio adnotavit *non tempore prisco dicendum fuit sed tempore quo prisca imitamur*. finem commenti numero paginarum ac verborum summa pariter exigui f. 82 a haec faciunt ex eodem descripta Porphyrione: *Est autem sensus, si acceptas i. gratas aras apollo habet quae in palatio dedicate sunt, melius futurum seculum tribuat*. iam vide subscriptionem, miraberis seduli editoris negligentiam: *Rome die prima Iulii Calcid[us poeta] hoc visum est raras litteras exploranti | in Auditorio publico hæc tractavi |||| | opera in hoc volumine contenta exponenda | absolvit tempore pauli papæ .II. et anno | .II. millo CCCC^o Ip V^o cetera erasa sunt*. erratum est in numero annorum, nisi tamen parva lineola L notae commissa quae ipsam hanc tantum distinguere visa est, reapse eam vim habuit ut annus significaretur MCCCCLXV, nam Paulus II sacra sede potitus est die XXX m. Augusti a. MCCCCLXIV. de Calcidio nihil aliud comperi, neque vero tanti mihi fuit vestigare hominem impigrum quidem sed qui non in propria pelle quiesset, ut illorum temporum monumenta dedita opera perlustrarem. Horatium autem ea ratione qua Calcidius etiam posteriores grammatici tractare pergebant, Ianus enim Parrhasius cum frequenti auditorio Horatii carmina interpretaretur, quod in explicanda amystide ausus esset a Porphyrione discedere, impudentiae se esse insimulatum refert epistula XXVI (Gruteri lampadis I p. 754).

V Novam memoriam exhibet Placidi glossa sic edita a Deuringio p. 43, 4: *Fabricora proverbium in eos qui domesticis alimentis usi aliis laborarent. dictum ab eo quod Capitolium aedificanti Tarquinio fabros ac structores corvi cum suo victu miserunt*.

in extremis pars librorum *corni* aut *comuni*. restituendum *fabri Cora* et quod huic nomini consequens est *Corani*. Cicero in Verrem actione secunda V 48 Capitolium maiores publice coactis fabris operisque imperatis gratis exaedificasse dicit, Livius I 56 57 fabros undique ex Etruria accitos plebemque in fabrorum ministerio detentam, Dionysius IV 59 ἀναγίας τοὺς τεχνίτας operi adhibitos memorat. Cora Volscorum oppidum ex vetustissimis fuit coloniis latinis, neque est cur negemus eam paruisse iam regum romanorum imperio (Schweglerus hist. rom. II p. 326 s. Mommsenus monet. rom. p. 311 s.) itaque hinc cum evocati essent Romam nulla mercede fabri, ex ultimis qui tum fuerunt imperii finibus, luculentum facti sunt operae gratuita exemplum. in Placidi librum pervenisse proverbium ex comoedia aliqua conicias, nam Plautus simili usus est in Casina v. 420 *cum cibo suo quique facito ut veniant, quasi eant Sutrium* eundemque sensum etiam alias expressit velut in Truculento I 2, 35 *quia tuo vestimento et cibo alienis rebus curas*. ceterum *Corani* quod Placido reddi volui, secutus sum optumam latinitatem. fortasse retinendum est quod ex librorum scriptura colligitur *Corni*, potuit enim fieri antiquitus ut sic vocarentur qui Coram habitabant velut Falisci qui Falerios, Crustumini qui Crustumerium, quoniam multa huius generis nomina prisci Latini imparilliter finxerunt. certe quidem etiam in indice sociorum latinorum apud Dionysium V 61 *Κόρων* scriptum habemus, atque hos Corae incolas esse, Cabanos autem quos in Coranos Niebuhrius hist. rom. II p. 19 mutandos censuerat, ex monte Albano Cabenses iam certa res est.

In alia Placidi glossa adhuc desidero colorem antiquitatis quia unum verbum non recte emendatum est: p. 27, 9 *consio multa qua citatos, si non prodierant, censor afficiebat*. libri cum tradant *si non ponderum*, auctor glossae quid scripserit haec exempla ostendunt pauca de multis. Varro apud Gellium XI 1, 4 *quando citatus neque respondit neque excusatus est* et Gerontodidascolo (sat. 195) *consul cum dilectum haberet nec citatus in tribu civis respondisset, vendidit tenebrionem*. in eadem historia Livi epitome l. XIV *eius qui citatus non responderat* et Valerius Max. VI 3, 4 *citari iussit neque eo respondente*. de legatis Phaedrus IV 19, 8 *citati non respondent*. in terminatione verbi sequendi sunt ii libri qui *pederam* vel *aderant* praebent, legendum *responderant*. usui erat ea glossa exponentibus scaenam Rudentis IV 8.

Idem Placidus p. 30, 1 *consulta, consilia, placita*. comprehendenda mihi videntur nec divellenda duo prima verba, nam in

Truculento Plautus dixit I 2, 8 *consulta sunt consilia* adulescentum animos promptos ad rapinam describens.

p. 41, 12 *exdorsuandum, iudicandum*. nimirum proprie fuit nudare dorso vel eximere, sicut Nonius et Paulus interpretantur. servus non iudicatur sine verberibus, despoliatus caeditur: ita coctus Trimalchionis quod pisces non exinterasset vocatus in iudicium exuta tunica inter tortores consistit, deinde venia impetrata recipit tunicam. comico poetae convenit talis dictio *ego tibi illum exdorsuandum tradam*, unum ex antiquis illis qui fingebant verba, non resuscitabant intermortua, Plautum hoc usum esse novimus in Aulularia ubi exdorsuari a coquo pisces facit.

p. 59, 5 *in fermento est iter infermentari id est taciter dissimulanter intra serunt*: in Casina II 5, 17 servus de era sua nunc in fermento totast, ita turget mihi, in Mercatore 959 senex alter suam uxorem totam in fermento iacere queritur, alter se expurgationem habiturum respondet ut ne suscenseat. verba grammatici misere deformata varioque modo tradita non potui fide exacta reparare, sed hanc fuisse sententiam aio *in fermento est, id est ira fervet, iram tacite et dissimulanter intra se servat*. ex Casina glossam esse deductam ideo veri simile est quod ab eodem Placido p. 84, 2 *turget* enarratum reperimus *tumet irascitur inflatur*.

p. 60, 26 *limasses, conlocasses*. male nuper *limitasses* editum est. respexit grammaticus eam dictionem quam a Livio Andronico acceptam comici propagarunt *ne cum illa limassis caput*. exempla vide apud Nonium p. 334 qui *limare coniungere* interpretatur.

Ex Placidi glossis multae aliquando adiungantur oportet in eos libros qui poetarum latinorum reliquias complectuntur. p. 5, 14 *aere vitam ducit ac manu, id est pecunia manu collecta*: mendici agnosco festivam tanquam militis descriptionem, tale nomen si praeposueris, integer fiet senarius versus. inops miserique victus homo furfureum panem esitat (Gellius XI 7, 3), pascitur *acerata offula, furfuraceo pane* p. 11, 14. ac praeterea frequentes sunt comicorum versuum aut tragicorum clausulae maxime, si modo aurium arbitrium sequi licet, ut *dissiliunt utres* p. 35, 12 et *male consultum habet* p. 68, 2 et *pinnatae plagae* p. 78, 12. mimus commemoratus est in *carisa* p. 27, fortasse ex mimo derivata sunt illa p. 10, 6 *ante genitos dogmate Pythagorae* eqs., si quidem dogma Pythagorae Laberius edisseratart Cancro vel inc. fab. XXI. *Favonium odium* quod p. 44, 12 sic explicatur *leve et sine causa velut a vento collectum*, ego non dubito quin finxerit per ridiculum qui tangere voluit aliquem Favonium. dictum igitur opinor in M. Fa-

vonium truculentiorum quam periculosiorum Pompei atque aliorum adversarium, etsi hoc evenisse casu patet ut de eodem homine Cicero aliquando scriberet *mihī leviter susceperat* (ad Att. II 1, 9). contrario flatu vehementissimum Catullus Calvo suo odium Vatini-
 anum denunciavit. non nulla glossemata saturas Varronis mihi in memoriam revocarunt velut p. 9, 14 *ad exodium, ad finem vel terminum*, dixerat enim ille *ad exodium adductae et ad exodium ducere* fr. 174 et 520. nec ad vetustiorum poetarum hoc pertinet p. 6, 27 *adlaterati palmulis, qui circa latera palmas gerunt*, quo significari videntur phaseli remis instructi vel grex avium alatus: sive deminutivum nomen sive verbum audacter fictum spectas, mollitiae huic et licentiae nulli alii tam obnoxii fuerunt quam Varro et Laevius et quae tum manus Pierias virgines violenter temptavit. denique ne infimae quidem latinitatis vestigia desunt: p. 70, 18 *numeros omnimodos pulsas tuo plectro* talia Capellas potius et Sidonios quam Plautum aut Lucilium locutos quis non sentit? nec potuisse fundi prius quam Antonini regnarent adiectivo illo demonstratur quod ex *omnimodis* adverbio excoctum ferrea aetas proculdit. p. 64, 9 *magnalia in nullo auctore leguntur quia est verbum nimis vilissimum, nisi forte in aliquibus antiquis* haec opposita putes Christianorum consuetudini frequentantium vocabulum ab antiquitate alienissimum. ex contrario *cidarim* et *ortygetra* et *deicida* adsumpta sunt quod expositio eorum proderat sacra volumina legentibus, si non ab ipso Placido, at ab eo grammatico qui Placidi libellum in hanc formam redegit. p. 47, 19 *fastidiosum renidens* congruit cum Appulei vel Minuci oratione, unde hoc venit arcessita indidem esse conicio p. 66, 1 *moris quippe* et quaedam alia: hic scriptor in ordinem receptus a grammatico una cum antiquissimis quis sit nondum inveni (*pseudomeni* et *sorites* ad Frontonis de eloquentia commentarium, *pseudothyrum* ad Querolum, haec ad Tertullianum illa ad historiam Alexandri me duxerant), tamen non despero investigari posse quaerendo amplius.

VI Claudiano poetae quantum posterī honorem tribuerint omnes norunt, ignorant hoc documentum quod etiam in arte critica ad aestimandos Claudiani codices aliquid habet utilitatis. epigramma Luxorii extat in anthologia Riesiana n. 350 inscriptum *de aquis calidis Cirnensibus*, septem distichis conclusum quorum postrema haec sunt:

*hic etiam ignota stupet ad praetoria fervor,
 plenior et calidas terra ministrat aquas.
 quis sterilem non credat humum? fumantia vernant*

- 10 *pascua, luxuriat gramine cocta silex.
innocuos fotus membris parit intima tellus
naturamque pio temperat igne calor,
et cum sic rigidae cautes fervore liquescant,
contemptis audax ignibus herba virescit.*

non recte procedunt versus, nam decimum excipere tertius decimus ac finem totius carminis facere duodecimus debuit. in hoc inepte traditum est *calor*, non dubito substituere quo sententia scriptoris consummetur *liquor* aut *licor*. cunctos qui legerit versus, facile sentiet inventione ac dictione 9 et 10, 13 et 14 longe distare a ceteris. iam inspice Claudiani Aponum, quod carmen inter minora editor novissimus voluit esse XXVIum, in illo a versu 17 haec leguntur:

- terrae*
- ubera sulphurae, fervida regna, plagae.
quis sterilem non credat humum? fumantia vernant*
- 20 *pascua, luxuriat gramine cocta silex,
et cum sic liquido cautes fervore tepescant,
contemptis audax ignibus herba virescit.
praeterea grandes effosso marmore sulci
saucia longinquo limite saxa secant.*

non congruit cum anthologia Salmasiana *liquido* quod Ieepius ex libris GL sumpsit, aspernatus quod reliqui tenent *rigidae*, nec congruit *tepescant* quod ille ipse commentus est abiecta librorum omnium scriptura *liquescant*. videbar mihi primus animadvertisse epigrammatis illius furta, quoniam nihil adnotatum inveneram ab editoribus, nunc Burmannum AL. II p. 610 haec video libri VI epigrammati 59 subscripsisse: 'quintum distichon *quis sterilem non* itemque ultimum *et cum sic rigidae* Claudiano sublegisse Luxorium notavit Heinsius'. heu nimis beatum nostrum genus qui ante partas maiorum virtute opes iam ultro perdimus. sed enim Luxorium quod Heinsius Claudiani disticha inter sua recepisse putavit, id mihi parum certum videtur: non hic illi mos erat nec tanta insipientia ut colores diversos atque inaequales nullo pacto mutare auderet seque ipse corniculam proderet. largiar illud *temperat igne liquor* expressum esse ad similitudinem pentametri in Apono qui est v. 62 *temperat igne tholos*, quattuor versus eosque a proprio argumento aberrantes ad minuta ex notissimo poeta Luxorium transcripsisse non concedo. immo Luxorii epigramma quinque distichis absolutum fuit, ita ut de supra scriptis ei relinquenda sint duo tantum *hic etiam ignota* et *innocuos fotus*, his adiecit nescio quis in margine

opposuitque e regione Claudiani duo disticha *quis sterilem, et cum sic*, iam unus quisque intellet qui factum sit ut coniuncta a Claudiano disticha disicerentur ac segregarentur versibus Luxorii. quemadmodum anthologiae conditor varios conlegit conlectosque in carmine 377 proposuit *versus balneorum*, eodem instituto sive idem sive alius auctor Luxorii et Claudiani comparavit laudes aquarum calidarum.

VII Magna contentione haud ita pridem certatum est de Plauti nomine gentilicio, minus clari poetae nomen si paululum mutaro, nemo non placide patienterque tulerit. Gratium vocare solemus eum qui cum in urbe Ovidius degeret vivisque adnumeraretur, carmen fecit de venatione. hoc ille nomen acceptum ferre librariis Ovidi videtur, si quidem tot litteris expressum est in epistula ex Ponto ultima versu 34. verum nihil valet neque eorum codicum auctoritas nec fortuitae memoriae locus contra testes vetustiores ac locupletiores qui ipsum nobis carmen tradiderunt nomenque poetae sic praescriptum GRATTI. et licet nostris auribus Gratium nomen familiarius sit aut gratius, apud antiquos, ut parce dicam, nimio plures fuerunt Grattii, velut in CIL. volumine quinto Grattius et Grattiae leguntur quinque, Gratiae gentis homo nullus. nec vero ei Gratius nomen erat qui accusarat de civitate Archiam poetam, sed Grattius, sicut libri Ciceronis testantur § 12. ergo cynegeticon scriptori, quem fructu laboris dimidio scribae defraudarunt, saltem quod hi reliquerunt nomen in futurum ne deminuamus, sed dicamus Grattium.

Bonnae.

Franciscus Buecheler.